

ri patet ex eò, quod dicitur ille ad DEUM re-  
dire & extra corpus subsistere, quod non nisi a-  
nimæ rationali convenit. Sic Matth. 10. 38.  
dicitur. *Nolite timere eos, qui occidunt τὸ  
Σῶμα corpus, τὴν ψυχὴν animam autem occi-  
dere non possunt: timete autem eum, qui po-  
test καὶ ψυχὴν καὶ τὸ Σῶμα & corpus & ani-  
mam perdere &c.* En duas hominis partes,  
corpus & animam ex ipsius Christi, ore.

§. 6. Ad dictum ex 1. Thess. 5. 23. de-  
sumtum respōdetur, quod Apostolo, sollicito  
sit de istò Spiritu, quem prædicatione verbi  
acceperunt. Aliud nihil hîc Spiritus, quam  
agitationem Spiritus sancti notat, quâ ho-  
mo regeneratur & vivit & ambulat Spiritu.  
Ne extinguatis Spiritum, ait ibidem. Ubi  
profectò non tertiam hominis partem intel-  
ligit. Hæc enim non tollitur salvò homine.

§. 7. Posterior locus ex 1. Cor. 14. 14.  
planè alienus est. Certo enim certius est,  
vocem πνεύματος pro Spiritu vel vitali vel  
animali in illò accipi non posse. Num enim  
veri-